et ab ipsis diis nostris, quasi ἄπτο μη χαύῃς liberemini. Id si propediem fiat, re quidem magnâ ex parte infectâ redituros auguror, quoad Principem meum: At si non ultra iredatur, quorsum otij et impensæ dispendia? Viderint quibus Respublica incumbit: Ego quid ~~em~~ de euentu rei sperem, ecce illepido sed veraci Epigrammate tibi prodo, quando balbutiem meam irritare voluisti versiculis in illâ patriâ scribi dignis, quæ de suâ Bilbili Martialem Orbi Romano dedit.

Ergone post septem Terræ miracula &c.

De filio porrò meo statuite ut videbitur, de me tu Vir Illustrissime, ut virtutis atque eruditionis cultore addictissimo. 10 Mart: 1661.

Comiti Briennæ

Illustrissimo Comiti de Brienne F.

Constantinus Hugenius (474)

S.

Quas te video humanissimas literas ad me dedisse septimo die Mensis, nono fuerant traditæ. Cui hoc testudini imputem non liquet. Solo Sequanâ dividimur; Hujus intervallum si biduanum iter est cursori Gallo et expedito experiamur age, quid segnes Batavi valeant, etiam σκάζοντες. Hos inquam claudicantes et suâ naturâ versiculos, et autoris inscitiâ, audeo ad te mittere, Vir eximie, postquam non omnibus Aulæ vestræ ¹literatis contemptui fuere. Cense tu pro imperio, cui me submitto, liberis meritoque, et vale patriæ ac meum decus. Lutet: 3. Id: Jan. CIↃIↃCLXII.

¹ut quidem referant amici; sed amici.

(475)

Comiti de Brienne: Exigunt res meæ et mandata quibus pareo, ut quant'ocyus admittar ad Regiæ Majestatis breve alloquium. Et me cum introducere Bonneulius nequeat nisi te autore, etiam atque etiam rogo, præstare mihi hâc in re operam tuam velis, neque indignari, quod te per epistolium adeo, quando per negotia, quæ te distrahunt sæpiusculè domi te tuæ frustra conventum ivi

Tuus omni obsequio
C. H.

12. Jan. 1662.

Comiti de Brienne.

Illustrissimo Comiti de Briennæ

C. Hugenius à Zulichem. (476)

S.

Hunccine Solem

Tam nigrum surrexe mihi..

Ut nec inaudire me optimus maximusque Regum velit, nec

nec de ministris humanissimus videri intelligere. Credunt Batavi Zulichemium nonnullis Europæ linguis uti non incommodè. At Hic nec Majestas Gallicismum homini admittit, nec amicitia Latinitatem. Utrobique surdis canitur. Illa me tamen intellexit, et benignè hoc fassa est. Alterâ quid facias, quæ quod accepit, conatur persuadere non percepisse? Ubi es candor, ubi terrarum post te lates? Nimirum Lomeni Sacro Codice me donasti et suo pretio, et quia abs tuâ manu longè acceptissimo: Quid reposui? ὁδηγὸν per sacrum illud nemus, ut ego quidem arbitror, sanum et fidelem, quippe qui nec aliâ versione uti voluit quam eâ quam vos usurpatis, ne de fraude nostrorum hominum audiret, quod non cessant vestri exprobrare: At ille Drelincurtulus est scilicet, et homo nauci ut fortasse tibi placet. quid si in grandi peregrinatione quâ defunctus es, mendicum obvium habuisses, qui in trivio hæsitanti commonstrasset viam quâ tendebas proximam, vel tutissimam, atque operâ tam fideli aut à latrocinio ~~te~~ salvum te præstitisset, aut a præcipitiis, doluissesne à tantillo mortali erudiri tuo bono? Aut infensus homini fuisses, quod apertè ille et candidè elocutus esset, quæ cum ille loqueretur tu arbitrabaris οὐχ οὕτως ἔχειν; At ille functus esset officio viri boni et Christiani. eodem erga te Drelincurtulus fungitur, et si me in partem gratiæ admittis, Hugeniolus tuus. Ecce vel hoc uno nomine quid Tu iussum perperam indignaris, quod eò te manu ducere satagam qui eundum censeo. Nec verò supercilium fero, seu mavis animi ~~[illegible]~~, non pro virtute Lomeniâ, impotentiam quâ vix inspectum munusculum ἄδωρον id vocare sustines, quod ille δῶρον instar sincerè offert et ἐν ἀφελότητι καρδίας. quin si evoluto libello persistis in proposito, neque ad palatum faciunt monitiunculæ quibus ἀπὸ τῆς πλάνης avocandus videbaris, esto quidem, nec me expectato importunum flagitatorem: Tua res agitur, non mea prorsus, nisi quod amico factum id quod velim mihi faciat. quâ in re quid utrobique ægrè feramus ergo non video. Quid? si Veronium illum vestrum, hactenus mihi ignotum scriptorem, bonâ fide legendum præbuisses, potin' credas invito te vel ingrato bene facturum fuisse? Ego verò amplexus essem et præbentis affectum et autoris eruditionem,

si

si ab animo sedato et mei amante profectam obseruassem, quo consilio cum et Drelincurtius compendio annotanerit, quæ vos expedire credidit non nescire.

Quid sanis magne sacerdos!

Puta illum, puta me ipsum dicere:

Si quid nonisti rectiùs istis

Candidus imperti, si non, his utere mecum:

Sanè de Autore vel Tractatu ipso senties tu, ut libuerit, mihi vel unius rei gratiâ chari sunt uterque quod non sine specie miraculi ~~#~~

Ad Comitem de Brienne

Ad Comitem de Brienne (477.

Excidisse me tibi, vir Illustrissime, ex quo postremum te quæsivi, ut quidem Giraldus opinatur, vehementer doleo, et infinitis, quæ te distrahunt negotiis imputo libens meritoque. Tandem aliquando tamen, quod a te petii, à maximo Regum ~~ut interpres~~ impetres breviusculum fandi tempus nunc denuò rogari sinas et feliciùs recordari

Tui omni obsequio
C. Hugenii à Zulichem.

Paris: 14. feb: 1662.

Ad Comitem de Brienne:

(478.

Quando per hesternos Aulæ strepitus discedendum fuit re infectâ, obsecro Vir Illustrissime, si visurus hodiè Regem es, ut hunc libellum ei tradare ne graueris quod non meâ solum interest ne differatur, sed vel tuâ maximè, ut quantociùs ab hoc homine liberis, nimiâ tandem familiaritate, quantum nec vacet tibi, nec ipsum deceat moleste.

Briennio.

(479.

Ne te pergam præsens obtundere, quæso vir Illustrissime velis huic epistolæ tribus verbis subscribere ecquid mei ratio habita sit in Senatu, ut quidem tu futurum receperas. deinde quem et quando rei exitum sperare jubeas, id est quem Verbi Regii effectum. Instat Æstas, et æstus ipse, qui quam molestus sit futurus iter facienti versus meridiem nemo ille meliùs intelligit, quam qui multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit versus utrumque Polum, te nimirum forti et industrio si quis quam Orbis Christiani lustratore.

Illustrissime

de Oratore te tersissimo repente Poetam fecerint, quam laudem hæreticis nimirum ægrè datis, perquam elegantem: quâ facultate licet te naturâ pollere et ad metri ~~verbosi~~ venustatem factum esse sæpius judicaverimus. Ecce tamen opus fuit obstetrice, quæ educeret fœtum istum, et ille quidem obstetricante indignatiuncula sic eductus est, ut posthac nullo prætextu evasurus sis, quia cum Poetastro Batavo in arenam eas, ut quando certamen omne de sacris Ecclesiæ detrectas, in Musarum Collibus experiamur.

— Quid valeant humeri, quid ferre lacerti.

Dum ad illam aciem utrinque armamur et accingimur, quæso te, Vir Illustrissime missa hæc faciamus, et languentis hîc amici tantisper miserere, ut ad schedulas, quas subinde missitavi scire per te liceat, quo loco credas rem Auriacam esse, et an brevi me adesse jubeas, ut omni spe deturbatus postremum hoc Regi, tibique dictum eam, in quo hic desinendum est, Vale.

Lutet: postrid: infamis diei, et quam nulli unquam Calvinianis placuisse certus sum: CIↃIↃCLXII.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 167v-169r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5784